



**Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXVII. Beneficii. ubi agitur de Dispensatione in pluralitate  
Beneficiorum, & de Triennali Possessione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

richtig, und sowohl Serenissimus Debitor, als subordinatissimum Collegium Provinciale tum verbo, tum facto per num. 18. zu solcher Schuld sich bekennet, wird solche pro confessata zu halten seyn, und die beschchene Abzahlung auf andere Weise müssen erwiesen werden. In Entstehung aber sothaner Probs wird per num. 26. dem Cessionario Pamphilo die exceptio solutionis facta, oder non numerata pecunia schwärlich opponiret mögen werden. Die prætendirende Unmöglichkeit aber absolviret zwar à culpa, & mora, nit aber ab obligatione solvendi Debitum. Wohl aber

51. 4. Wird offterwehntem Collegio wider Pamphilum zum Guten kommen Beneficium Legis Anastasianæ, also daß besagter Pamphilus nit mehr, als das mit Mævio pactirte Quantum fordern, des Überschusses aber, wie quæst. 4. per totam erwiesen worden, sowohl er, als der cedirende Mævius,

weilen beede wider besagte Legem gehablet, verlurstiget, solch Überschuß aber per dicta num. 40. & seqq. zu Nutzen Debitoris cesi gereichen.

5. Eben so wenig kan per rationes ad quæst. 5. allatas mit Hug Rechtens von Pamphilo auf die von ihmforderende Zins, als welche für recht usurarisch zu achte seynd, angetragen werden. Bleibet also bei derne, daß Mævius, oder dessen Erben, his stantibus, allein mit der pactirte Summa sich befriedigen, Pamphilus aber allein solch Summa von dictem Collegio, oder ab ipso Serenissimo Debitorre zu erheben habe, ut ita dicit obediens legibus, hujusmodi Cessiones adeo severe prohibentibus. Und dises ist, was, omnibus consideratis, denen Rechten, und der Äquität gemäß zu seyn erachte, doch mehr begründeter Meynung hemit nichts benemmend.

## CONSILIO LXXVII.

### Circa dispensationem in pluralitate Beneficiorum.

#### S U M M A R I U M.

1. seqq. Facti species.
6. Qui Beneficium incompatibile recipit, ipso jure privatus est priore, si antè simile aliud obtinuerit: inò accidente sententiā declaratoria, privaretur etiam secundo, si utrumque simul retinere vellet.
7. Procedit hoc de duobus Beneficiis curatis:
8. De duabus dignitatibus vel personatibus:
9. Item de duobus Beneficiis quibuscumque, que præcisam & simplicem residentiam requirunt.
10. Ut privatio primi Beneficii incurritur, debet utrumque Beneficium esse perpetuum, & quidem posterius obtentum vero titulos, pacificè, & plene.
11. In substrato casu vacavit antea habitum Beneficium Parochiale:
12. Collatio autem secundi fuit valida.
13. Siquis plura obtinet Beneficia, inhabilis est ad aliud acquirendum absque dispensatione.
14. seqq. Ut quis per retentionem primi Beneficii, privetur etiam secundo, requiritur retentione dolosa & malitiosa.
17. Regula de triennali possessione.
18. 19. Ut quis juvetur Beneficio hujus regulæ, debet esse habilis ad possidendum Beneficium.
20. An requiratur bona fides?
21. Requiritur possessio pacifica;
22. Triennalis:
23. Non interrupta.
24. seq. Requiritur insuper titulus saltē colōratus.
26. Qui possidet Beneficium contra Decreta Concilii Tridentini, non juvatur regulā de Triennali:
27. Saltē si sit declaratus per sententiam.
28. Si constat de titulo invalido, locum non habet dicta regula.
29. seqq. Obstac huic regulæ simonia:
32. seqq. Item si Possessor sit intrusus:
36. Vel Beneficium sit reservatum per obitum in curia.
37. seqq. Deciditur, in præsenti causa locum habere regulam de triennali possessione.
41. 42. Triennalis Possessor Beneficii non potest molestari circa possessionem Beneficii:
43. Tenetur tamen ordinario inquirenti in titulum, de hoc respondere.
44. Possessori mala fidei triennalis possessio Beneficii non confert titulum:
45. seqq. Inò etiam possessorum bona fidei probabilit̄ non reddit securum in petitorio sed solum in possessorio.
48. Ejusmodi Possessor fructus reddit suos, prout alii possessores.
49. seqq. Deciditur ultima quæstio, & tota controversia.
54. seq. Formula scribendi ad S. Penitentiariam.

FACTI

## FACTI SPECIES.

**I.** Iberius, Presbyter, ex Illustrissima quādam Germaniae Familia oriundus, per viginti omnino annos Parochiam M. cum insigni zelo, etiam grassante in loco illo lue pestiferā, rexit. Suspiravit ille diu levamentum laborum suorum, supplicabātque identidem pro Canonicatu Cathedralis Ecclesiae, ut hoc modo à contentione laborum posset quiescere. Tandem se prodidit Decanatus insignis Ecclesiae Collegiatæ L. in qua ille secunda post Præpositum dignitas est; ad hunc enim, cū per mortem vacāset, à Serenissimo Ecclesiae illius Patrono nominatus, & ab Ordinario loci institutus fuit. Cū verò dubitaret ille, an revera Decanatus iste tantos afferret reditus, ut ex his ipse proportionatam statui suo, ac nobilitati sustentationē habere possit summo Pontifici, Benedicto XIII. Sanct. mem. supplicari fecit, ut Parochiā M. unā cum Decanatu prædicto retinere libere, & licet valeat.

**2.** Annuit supplicationi Sanctissimus per Bullam 9. Cal. April. 1728. emanatam, in qua, postquam declaravit, Provisionem prædictam de Decanatu in memorata Ecclesiae Collegiata, eō quod Liberius tempore provisionis hujusmodi Parochiale Ecclesiam M. - - obtineret, prout adhuc obtinet de praesenti - viribus non subsistere, sed Decanatum hujusmodi adhuc per obitum prioris possessoris vacare ad præsens, nihilominus ex speciali Apostolica gratia Magistro Anselmo Dandino in utraque Signatura Apostolica Referendario, & antiquiori Canonico Ecclesiae F. & Officiali (seu Vicario Generali) Episcopi dictæ Diœcesis, per bac Apostolica scripta mandauit, quatenus - - hujusmodi Decanatum, cum annexis omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Liberio conserre, & assignare carent, inducentes per se, vel alium, seu alios eundem Liberium, vel Procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem dicti Decanatus, ac annexorum jurum, & pertinentiarum insuper facientes eundem Liberium ad Decanatum hujusmodi admitti, sibiique de illius ac annexorum eorundem fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, & obventionibus universis integrè responderi &c.

**3.** Similiter verò in iisdem literis Sanctissimus cum eodem Liberio dispensat, ut unā cum Decanatu prædicto - - Parochiale Ecclesiam M. quam de praesenti obtinet, deputato tamen illi interim Vicario idoneo cum assignatione salario arbitrio Ordinarii, qui curam animarum Parochianorum dicta Parochialis Ecclesia exerceat, ad quinquennium proximum tantum, attentā tenuitate redituum dicti Decanatus, retinere libere, & licet valeat, ita tamen,

ut interim Decanatus hujusmodi, ac Parochialis Ecclesia prædicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta. Voluit autem ad extremum Sanctissimus, ut Liberius, finito quinquennio hujusmodi dictam Parochiale Ecclesiam in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis tantum libere cum specifica mentione præsentis voluntatis, nec alias dimittere omnino teneatur; alioquin tam dicta Parochialis Ecclesia, quam Decanatus hujusmodi videntur eo ipso, ita, ut de illa, & illo per Sedem Apostolicam tantum disponi possit.

Bulla hæc Pontificia tum primùm in manus supplicantis venit, cū ad terminum suum pergeret tempus, ad quod Celissimus Ordinarius ex singulari erga Liberium gratiâ distulit Parochum novum, à se jam nominatum, in possessionem mittere. Ne ergo hoc fieret, statim altero die, postquam advenit, Bulla hæc Celissimo loci Ordinario transmissa fuit, qui illam ad examen tradidit Parocho noviter constituto. Hic, non intelligens tenorem Bullæ quoad irritationem provisionis ad Decanatum, item movere Liborio cœpit, in qua tamen hic, licet ad longum satis tempus protracta fuerit, tandem victor evasit. Hinc iste Bullam repetit ab Ordinario memorato, qui etiam eandem remisit, cum addito, moris quidem alias non esse, ut Bullæ Pontificiæ extra-dantur supplicant, quia tamen illius executio commissa fuit Ordinario Diœcesis F. se eandem restituere.

Dum hæc fiunt, moritur Reverendissimus, & Excellentissimus Dominus de Z. Canonicus antiquior Ecclesiae Cathedralis F. & Officialis, seu Vicarius Generalis Reverendissimi Capituli, cui juxta num. 2. commissa fuerat executio dictæ Bullæ. Successit eidem in Officio Reverendissimus Dominus L. B. de W. qui à tertio interrogatus, num Bullam hanc, cuius, ut dictum est, executio Domino de Z. tanquam Vicario Episcopi commissa fuit, exequi dignaretur, si eidem communicata fuisset, respondit negativè. Obitum Reverendissimi de Z. fecuta est mors Benedicti XIII. Sanct. mem. Et hac ratione evenit, ut Bulla ista nulli Episcopo, aut Officiali, hujus unquam exhibita pro executione fuerit, sive etiam non est facta nova institutio in Decanatu, quam tamen Pontifex in Bulla citata expressè requisivit: quo tamen non obstante, Liberius tam reditus Decanatus, quam Parochiales semper percepit. Hac specie facti positâ,

## QUÆRITUR I.

An collatio Decanatus in Ecclesia Collegiata L. facta Liberio ab Ordinario ad præsentationem Patroni, sit ideo præcisè invalida, quod ille cum Beneficio Parochiali M. sit incompatibilis?

Res.

4.

5.

**6.** **R**Esponsio ad quæstionem hanc sequitur  
ex dispositione constitutionis

Extrav. incipit execrabilis. Joann. XXII.  
¶ qui verò de prab. & dignit.

ubi statuitur, quod is, qui beneficium Curatum, dignitatem, vel personatum receperit, si antè simile aliud obtinuerit, postquam secundum pacificè possederit, vel possidere potuisse, si voluisse, prius obtento ipso jure privatus sit: & simul præcipitur, ut illud sine mora in manibus Ordinariorum dimittat; alioquin ipso jure privandum etiam secundo, & non tantum ad SS. Ordines Iulciendos, sed etiam ad obtainendum quocunque beneficium Ecclesiasticum inhabilem fore: additur præterea, ipsa beneficia sic dimissa, quæcumque illa sint, reservari Papæ & Sedis Apostolicæ dispositioni, ita, ut, si quis de illis quavis autoritate, vel quocunque modo disponere attinet, illud irritum sit. Quod ultimum confirmavit etiam

Sacr. synod. Trid. sess. 7. c. 4. de reformat.

ut proinde defacto is, qui ejusmodi duas dignitates, personatus, aut beneficia curata retinere simul præsumeret, ipso jure non tantum primo, sed etiam secundo, scilicet posterius obtento excideret. Ubi tamen distinguendum est inter vacationem primi, & secundi beneficii; nam, quamvis utrumque ipso jure vacet secundum tamen ante sententiam declaratoriam dimittere non est necesse, sed, et si ejus titulus sit amissus, possessio ramen retineri potest, donec quis, causâ cognitâ, per sententiâ privatus beneficio illo declaretur.

Gloss. in c. licet 28. ¶ te non vocato. de prab. in 6. Less. l. 2. de just. c. 34. n. 143.

Wiestner tit. cit. n. 190.

Ratio est, quia vacatio primi beneficii introducta est ob incompatibilitatem, secundi autem in pœnam retentionis indebitæ; pœna autem ante sententiam declaratoriam, et si jure lata, non incurritur.

Sed neque quæcumque incompatibilitas inducit vacationem primi beneficii ipso jure; nam aliqua incompatibilitas inducit vacationem primi absque ulla alia sententia judicis: alia, ut vacationem inducat, opus habet sententiâ, quæ mandet alterutri renuntiari. De priori genere sunt rimo duo beneficia curata juxta textum

c. cum singula 32. de prab. in 6. Clem. 3. & Extrav. execrabilis. §. qui verò cit. eod.

Trid. dict. c. 4.

Et ratio est, quia electus ad curam animarum tenetur per seipsum deservire, & non per Vicarium, cum videatur electa industria personæ. sed impossibile est uno, eodemque tempore in diversis Ecclesiis residence, ergo &c.

Quarant. Summ. Bullar. V. resignatio.

**8.** **z.** De eodem genere sunt duæ dignita-

tes, & personatus, ita, ut habens unam dignitatem, vel personatum, si aliam dignitatem, ver personatum obtineat, perdat primam ipso jure per possessionem secundæ. Patet ex

c. de multa 28. de prab. & extrav. execrabilis cit. tit. eod. quibus addit. c. consuetudinem 1. de consuet. in 6.

ubi consuetudo, ut quis duas dignitates, vel personatus simul absque Apostolica dispensatione obtineat, tanquam corruptela, facis inimica Canonibus, aperte damnatur. Ratio est: vel enim duæ haec dignitates, & personatus sunt in eadem Ecclesia, vel in diversis. Si in eadem Ecclesia, ipsa Ecclesia fraudaretur Ministerio unius Beneficiati, & sic diminueretur cultus Divinus contra

c. ex parte 12. de constit.

Si in diversis, habens duas dignitates, vel personatus, vindicaret sibi stipendia duorum contra

c. quia nonnulli 3. de Cler. non resid. & sequeretur inæqualitas, scilicet, quod aliquis quidem esuriat, alias autem ebrios fit.

3. Similem incompatibilitatem, ut primum beneficium vacet ipso jure per assecutionem secundi, iuxta

Hojed. tract. de pluralit. benef. c. 9. n. 5. & c. 11. in fin. Zech. de benef. & pens. Eccl. c. 5. n. 4. Gutier. cons. 10. n. 3. &

4. cum aliis inducunt duo beneficia quæcumque, etiam simplicita, residentiam requirentia: quod tamen negant alii graves DD. cum

Rota divers. p. 1. decij. 484. & alibi apud Garc. de benef. p. 11. c. 5. n. 83. & seqq.

Utrique sententia dandum videtur aliquid, & ambæ inter se componendæ ope distinctionis, quæ utuntur

Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 15. n. 19. ¶ intellige tamen, & Garc. l. cit. n. 86. qui sic declaratum fuisse à S. Congr. afferit.

Vel enim dicta duo Beneficia requirent præcisam, & simplicem residentiam, vel tantum causativam fructuum. Si prius, vacat primum per assecutionem secundi; secus, si posterius. Adeoque incompatibilitatem ad effectum, ut unum vacet per assecutionem secundi, inducunt 1. duo Canonicatus, vel Canonicatus cum Parochiali, aut cum portione, ut l. cit. declaratum fuisse à S. Congr. testantur Gonz. & Garc. 2. duæ Capellania requirentes residentiam, vel Capellania cum Beneficio curato, Canonicatu, vel Portione, aut quovis alio residentiam requirente, prout decisum est in

Toletana Capellana 15. Dec. 1591. co-ram Pampil. & alibi

testibus iisdem Gonz. & Garc. l. cit. 3. simili modo incompatibilis est portio cum Archi-

Archipresbyteratu, habente curam jurisdictionalem, ut resolutum est in

*Conchensi Archipresbyteratus de Hueta 17.  
Maij 1593. coram Pennia apud Garc.  
l. cit. n. 89.*

4. idem dicendum, si Canonicatus concurred cum Beneficio curato, vel alio habente præcisam Residentiam, etiamsi Canonicatus ex statutis Ecclesiaz non requirat continuam Residentiam, vel in eo Canonicus deteruire poslit per substitutum, prout decimum fuisse per Rotam, testatur.

*Garc. l. cit. n. 90.*

5. Eadem est ratio, si concurred dignitas cum Officio, ut habetur

*c. consuetudinem 1. de consuet. in 6.*

10. Plura autem requiruntur, ut per affectuationem secundi Benefici amittatur primum. Nam 1. utrumque Beneficium debet esse perpetuum, saltem aptitudine, ut sunt etiam Beneficia manualia, seu ad nutum amovibilia; cum enim dentur in titulum, inducunt incompatibilitatem, quæ non inducitur per Officia, seu dignitates, solum ad tempus concessas.

*Garc. l. cit. n. 181.*

ubi testatur, ita fuisse decimum à Rota, & sic communiter sentire DD. 2. posterius Beneficium debet fuisse obtentum vero titulo; nam, si quis bona fide obtineat secundum Beneficium, credens, justo titulo ad id jus sibi quæsumum esse, quod revera non est, non vacat primum, sed illud obtinens, detecto errore, potest secundum relinquere, & absque novo titulo ad primum redire, ut ex textu c. si Beneficia 20. de Prab. in 6. arguit

*Navar. cons. 31. n. 3. de Prab. & habetur apud Quarant. V. Beneficiorum resignatio. V. nona causa. circa princ.*

Aliter dicendum, si secundum Beneficium acquisitum sit vero titulo; nam per hujus affectuationem, si in hoc gradu incompatibilitatis sit, ut bene notat

*Gemin. & Franc. in c. si tibi de præbend. in 6. relati à Seraph. decis.*

*953. n. 3.*

ita vacare dicitur primum Beneficium, ut nec etiam dimitti possit secundum ad finem recuperandi primum. 3. secundum Beneficium debet acquisitum fuisse pacifice, ita, ut acquirens illud actu possideat, vel saltem per ipsum stet, quo minus possessionem illius acquirat, ut cum communiter notat

*Garc. l. cit. n. 100. ubi testatur, sic plures fuisse decimum.*

Et quidem 4. hæc possessio non debet esse pacifica solum de facto, sed etiam de jure, i. e. non litigiosa, & sine controversia, ac molestia, etiam extrajudiciali.

*Hojed. de plural. Benef. c. 13. n. 80.  
Paris. de Resign. l. 3. q. 1. n. 130,*

*R. P. Schmalzgrueber Confilia*

*Mafcard. de probat. concl. 183. n. 40.  
Seraph. decis. 997. Garc. l. cit. n. 105.  
& seqq. ubi plures ad id adducit DD.  
& Rotæ Decisiones.*

Ratio est, quia aliquoquin talis Beneficia-  
rius bis puniretur, scilicet amissione prio-  
ris Beneficij, & periculo etiam amittendit  
posterior propter litis, & possessionis ambigui-  
tatem anticipé aleam, s. hæc pacifica possesso  
secundi Beneficij ad inducendam vacatio-  
nem primi debet esse non solum possesso  
quoad titulum, seu exercitium Curæ, vel  
Officii annexi Beneficij, sed etiam bono-  
rum & fructuum Beneficij, vel saltem  
majoris partis illorum; nam, si cum Be-  
neficio secundo non possunt haberis fru-  
ctus, vel pars major illorum, quia ad ali-  
um pertinent, non vacat primum ex dis-  
positione

*c. si tibi absenti 17. de Prab. in 6.*

Ratio est, quia talis non censetur plenè,  
& perfectè obtainere alterum Beneficium,  
igitur primi vacatio eò usque manebit  
suspensa, dum Beneficiarius ex secundo  
Beneficio fructus, saltem ex parte majoris,  
accipiat.

Ex hactenus deductis in ordine ad quæstio-

num num. 6. propositam sequitur

110. Decidit u

quod in hypothesi, quæ poteretur Deca-  
natus insignis Ecclesiæ Collegiatæ L. va-  
lide concessus Liberio, ita, ut titulum in  
eo verum acquisiverit, captâ ab illo hu-  
ius dignitatis fructifera possessione, Pa-  
rochiale Beneficium in loco M. vacaverit  
ipso jure, & propterea illud sine mora di-  
mittendum fuisset in manibus Ordinarii,  
cujus jurisdictioni istud subest, nisi Libe-  
rius sollicitasset apud sedem Apostolicam  
pro ejus retentione simul cum Decanatu  
prædicto; sunt enim juxta prædicta, Be-  
neficia, requirentia Residentiam præcisam  
& simplicem, quæ propter talis naturæ sunt,  
ut posteriore pacifice & fructuose in titu-  
lum verum possesso, prius obtentum sine  
authoritate Apostolica retineri simul non  
possit.

Sequitur 2. non apparere causam, ob

quam collatio Decanatus Collegiatæ Ec-  
clesiaz L. in personam Liberii primitus fa-  
cta, viribus non substiterit; sunt enim  
primi tum, quando collatus fuit Liberio  
Beneficium, actu per mortem prioris pos-  
sessoris vacans, non affectum, non reser-  
vatum sedi Apostolicae. 2. ad hunc Dé-  
canatum Liberius fuit nominatus ab eo,  
cui jus nominandi ad illum indubitate  
competit; item, præsentata hac nomina-  
tione, fuit institutus ab Ordinario. 3.  
nullum apparet impedimentum in persona  
ipsius Liberii, quod collationem irritam  
faciat, sed potius singularia merita, quæ  
sibi fecit, dum per annos viginti tantâ so-  
licitudine, etiam pestis tempore, curam  
pastoralem exercuit, & præmio dignum  
se fecit. 4. non videtur etiam aliquid in-

(Eccc) ter-

## CONSILIIUM LXVII. BENEFICII.

386

tercessisse in modo, quo collatio hæc ei facta eit, ut inde hujus nullitas colligi possit; nam, quod ipsi, antecedenter jam possidenti Beneficium Parochiale consequenter incompatibile, collatus sit hic Decanatus, non vitiare potuit collationem, sed imposuit solum necessitatem dimitendi Beneficium Parochiale post adeptam pacificam, & fructiferam possessionem Decanatus, quippe postquam illud ipso jure vacare coepisset, nisi dispensationem impetrasset Liberius.

13.

Neque huic responsioni obest dispositio Gregorii X. qui, ut refertur

c. Ordinarii 3. ¶. in conferendis, de Offic. Ordin. in 6.

prohibuit Ordinariis, ne Personatum, dignitatem vel aliud Beneficium, curam habens animarum, alicui, plura similia obtinenti, ante conferre presumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur; & hoc etiam ostendit, voluit, ita demum ad collationem procedi, si appareat per eandem, quod is, cui est collatio facienda, hujusmodi personatum, dignitatem, vel Beneficium retinere valeat cum obtentis, vel si ea, qua sic obtinet, liberè, ac sponte resignet, additique claufulam irritantem in fine, ibi, aliter autem de personatis, dignitatibus, & beneficiis talibus facta collatio, nullius penitus sit momenti. Non, inquam, dispositio c. cit. obest valori collationis Decanatus in praesenti casu; nam textus iste loquitur expresse de illo, qui ante obtinebat plura Beneficia, quod est contra ius commune, & habentem illa reddit inhabilem ad aliud Beneficium obtendum, nisi ex dispensatione: ideoque collatio ulterioris cujusdam Beneficium non tenet, nisi is, qui obtinere hoc cupit, renuntiet prioribus. Contrà verò in casu praesenti Liberius ante collationem Decanatus tantum habuit unum Beneficium, scilicet Parochiale M. ubi procedit dispositio

c. de multa 28. de Prab.

juxta quod per adoptionem secundi Beneficii similis, & incompatibilis cum priore ipso jure vacat primum, sed collatio secundi valet. Ita post

Gloss. fin. in c. Ordinarii cit. & Ancharan. ibid. in Oppos. 2. monet Pirhing ad tit. de Offic. Ord. n. 64. not. 4.

qui disparitatem dat; quia unum Beneficium obtinere est de jure communi, plura autem obtinere est contra ius commune, & secundum ius speciale, seu privilegium, aut dispensationem. facilis autem tollitur, quod competit alicui ex iure speciali, seu privilegio, aut dispensatione, quam quod ex iure communi.

14.

Unicum, quod valori collationis, seu institutionis in Decanatum, factæ in persona Liberii, opponi posse videtur, esse appareat, quod idem Liberius, obtentâ dicti Decanatus possessione, adhuc reti-

nuerit prius habitum Beneficium Parochiale, & perrexerit fructus ejusdem percipere, in quo casu juxta Tridentinum num. 6. allegatum retinet primum Beneficium, quo privatus fuerat per afflictionem secundi incompatibilis, in poenam hujusmodi retentionis amittit etiam secundum. Verum ex eodem Tridentini textu convincitur, poenam istam in casu sublatro non tangere ipsum Liberium; nam, ut bene notat

Garc. de Benef. p. 11. c. 5. n. 95. & seqq.

ad poenam privationis hujusmodi incurrendam juxta idem Tridentinum requiratur, ut provisus secundo incompatibili Beneficio retineat primum dolose, seu malitiosè, saltem ex culpa lata: id quod per verba Concilii, ibi retinere præsumperit, ex

l. quod Nerva 32. ff. Deposit.

colligit idem Garc. l. cit. n. 97. Imò aliqui apud eundem ad effectum, ut provisus tali casu privatetur etiam secundo, requirunt monitionem, vel saltem, ut primū retinuerit usque ad litis contestationem. Sed hanc opinionem rejecit memoratus Garc. n. 99. dicens, sufficere, quod post obtentam pacificam, & fructiferam possessionem secundi retineat primum, quod scit, vel scire debet vacasse per afflictionem secundi; additque, hanc pennam Conciliarem incurri etiam per solam retentionem de facto sine perceptione fructuum ex primo beneficio, cum Concilium sit contentum solā retentione.

Quiquid autem sit de secundo hoc aliquorum requisito, à poena amittendi etiam Decanatum, cum quo retinuit Parochiam prius habitam, videtur Liberium excusare requisitum primum; neque enim dolose, vel malitiose censetur agere, qui ex causa justa dispensationem petit in lege. Hoc fecit Liberius, dum, sciens, de jure alias vacaturam fuisse Parochiam ante a se possessam, ex causa obtinenda pro statu suo decentis sustentationis, sedi Apostolicæ pro dispensatione ad eam cum Decanatu retinendam supplicavit. Non videtur autem ad dispensationem hanc obtinendam idoneum fuisse medium renuntiare prius dictæ Parochiæ, ut dein dispensative retineri posset; nam duo ista pugnantia dicunt. Merito igitur, & licite eā intentione illam retinuit, fructusque ejusdem percepit, atque adeo, tanquam nihil delinquens, jacturam Decanatus, quæ poena fuisse illicitæ retentionis Parochiæ prius habitæ, non incurrit.

Proinde, dum in literis Apostolicis de super emanatis dictum est, quod provisio de Decanatu questionis propterea, quod Liberius tempore provisionis hujusmodi Parochiam Ecclesiam M. obtinuerit, viribus non subsistat, ipseque Decanatus adhuc per obi-

etum prioris possessoris vacaverit, & ideo ipse Liberius in dicti Decanatus, & Jurium ejus possessionem de novo induci jubetur, hæc nova provisio vel ad cautelam duntaxat, ut saepe contingit, imperatur, vel ob aliud vitium latens cassata fuit: super quo dubio declaratio à S. Dataria Romana meritò peti potuisset.

## QUÆRITUR II.

Utrum, si quocunque tandem ex virtute provisio hæc fuisset nulla, Liberius tamen hoc casu juvetur regulâ de Triennali?

17. R Egula de triennali possessione est inter Regulas Cancellaria Apostolica. 36. In hac Pontifex statuit, & ordinavit, quod, quis quacunque beneficia Ecclesiastica qualcumque, absque Simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica, vel ordinariâ collatione, aut electione, electionis confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodo in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolica ex reservatione generali, in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit) super eidem beneficis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrations qualibet, de beneficii ipsis sic possessis factas, irritas, & inanem censerri debere decrevit, antiquas lites, super illis motas, penitus extingendo,

18. Ut quis gaudeat beneficio hujus regulæ, requiruntur tam multæ conditions, ut Card. de Luca de benef. dicit. 91. aliquoties repeat, rurum esse casum, in quo possessor beneficio hujus tantum regulæ juvetur. Præcipuæ sunt sequentes.

Irmod. requiritur, ut, qui juvari vult beneficio hujus regulæ, sit habilis ad possidendum, vel detinendum beneficium. Inhabiles autem certò sunt Laici, conjugati, bigami; quia non tantum non possunt consequi beneficium, sed neque præhabitu retinere.

Sanch. lib. 2. cons. 1. D. 31. n. 21. reliquos omnes, non expresse exclusos per regulam, illâ juvari cum Navar. Gom. Sanch. Chokier, & aliis existimant

Palao tract. 13. D. 2. p. 33. n. 9. Card. de Luca dicit. 91. cit. n. 3. quia, quamvis sint incapaces veri tituli, tamen non sunt omnino incapaces beneficii, cum habere possint titulum coloratum, quasi possessionem &c. Hinc allegati DD. cum

Dian. p. 11. tract. 5. ref. 3. volunt, hac regulâ juvari omnes illos, qui etiam ex parte personæ ipso jure sunt in-

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

habiles ex poena, Censurâ, irregularitate &c. eò quod vi hujus regulæ censetur fieri dispensatio, veltilli impedimentum in ordine ad tale beneficium triennio possidendum. Et in specie juxta Gomez, Sanchez, Chokier juvantur imò illegitimi, & spurii. 2. Irregulares, suspensi, excommunicati, & ut addit Soto, etiam hæretici, donec spolientur. 3. Non promoti intra tempus ad ordinem debitum, Paris. Chokier. 4. Non habentes gradum requisitum, non dispensati ad tale beneficium, carentes ætate debitâ. 5. Possidentes duo curata, aut alia duo incompatibilia, Paris. Rebuff, Gomez. 6. Qui per sub vel obreptionem obtinuit beneficium, dummodo perget possidere, ut cum aliis

Dian. ref. 4. loc. cit. q. 3. docet. 7. Is. qui beneficio privatus erat ipso jure, dummodo & ipse possessionem continuet.

Leuren. for. benef. p. 2. q. 860. Contradicunt quoad hæreticos Rebuff. Chokier, & ipse Sanchez; quia hæretici incapaces sunt possessionis, & omni beneficio, & auxilio juris carent.

c. si adversus 11. de haret. Item quoad eos, qui ex parte personæ ipso jure sunt incapaces, saltem si impedimentum duret etiam post triennium.

Lug. de just. D. 7. n. 110. Et propterea alii à beneficio hujus regulæ excludunt etiam spurious, infames, irregulares, suspensos, excommunicatos &c. solumque ex vi hujus regulæ defendi ajunt possessorem habilem, & aptum ad beneficia obtinenda. Rationem dant, quia impedimentum Canonicum obstat beneficis receptioni, & collationem annullat. igitur ista, stante tali impedimento, manebit nulla, nullumque concedet Titulum. Dixi autem, stante tali impedimento; potest enim successu temporis tolli hæc inhabilitas: & idcirco, istâ sublatâ, plures docent, triennalem possessionem titulum tali casu conferre; quia est possessio cum titulo colorato, continuata per tempus ad præscribendum sufficiens. Contrarium tamen sentit

Palao tract. 13. D. 2. p. 33. n. 3. & apud hunc Cosmas Pragm. Sanct. tit. de pacifico possess. V. triennio, & V. molestari. Covar. reg. possessor. p. 2. §. 10. n. 10. concl. 6. & 7. Azor sibi non constans p. 2. lib. 7. c. 35. q. 3.

cum quibus cit. Palao dicit, tali possessione titulum non acquiri; quia regula de triennali solum prohibet, ne possessor triennalis pacificus molestetur, quod optimè fieri potest, etiamsi ipse, cognito viatio possessionis, & provisionis sua, teneatur dimittere beneficium, aut dispensationem impetrare. Ratio est, quia beneficium titulus aliter, quam Canonica institutione acquiri non potest.

(Eccc 2)

19.

6. 68

c. ex frequentibus 3. de inst. & c. beneficium 1. de R. f. in 6.

igitur præscriptione acquiri non potest, consequenter triennalis possessio titulum non concedit. Adde, quia, si triennalis possessio concederet titulum, & securum in conscientia redderet possessorem, Ordinarius à triennali Possessore non posset exigere titulum, eumque examinationi subjicere; cum tamen contrarium multis probetur, quos refert.

Covar. l. cit. n. 20. concl. 8.

20. 2. Requiritur bona fides, ut habet communis DD. & inter hos

Rebuff. de Pacif. possedd. n. 28. Navar.

lib. 3. cons. 41. in fin. de præbend. edit. 1.

& cons. 2. in fin. de Paroch. edit. 2.

Sanch. lib. 7. c. 29. n. 91, & l. 2. cons.

1. D. 31. n. 20.

qui putant, sine hac Possessorem triennalem non posse adversus contradicentes excipere, ex ratione, quia cum mala fide non datur præscriptio. Alii verius esse existimant, bonam fidem non requiri. Ita

Gomez ad Reg. de Trienn. q. 42.

Covar. n. 10. cit. concl. 4. Pal. dict.

p. 33. n. 10. Leuren. p. 2. for. be-

neff. q. 857. cum Emman. Sa, Ton-  
dut. Chokier &c.

Ratio est, quia ex vi triennalis posses-  
sionis non præscribitur titulus in beneficio,  
ut dictum est num. præc. & latius examina-  
bitur num. 44. & tribus seqq. sed prohibetur  
duntaxat possidentis molestatio, & bene-  
ficii imperatio. Hic autem effectus ob-  
tineri non poterit, si regula hæc duntaxat  
faveat bonæ fidei possessoribus; nam im-  
petrans beneficium contra triennalem pos-  
sessorum objicere posset huic, ipsum care-  
re bonâ fide, id quod facile probare pos-  
set, probando, eum contra juris ordi-  
nem beneficium possidere. Accedit, quia  
lites, quas ex uno capite hæc regula evi-  
tare contendit, ex alio novas miseret;  
nam, si hæc regula solum prodesset bonæ  
fidei possessoribus, necessariò possessor  
deberet probare, bonæ fidei possessorum  
se esse, sicut probare debet triennalem  
possessionem, ut se defendat. Cum au-  
tem difficillimum sit bonam fidem proba-  
re, præcipue quando beneficium quis pos-  
sideret contra juris Ordinem, lites neuti-  
quam evitabuntur, sed una negetur ex  
alia. Neque per hoc, quod regula hæc  
possessorem malæ fidei defendat, Ponti-  
fex favere intendit peccantibus, sed solum  
intendit favere Reipublicæ, lites ab ea  
removendo, esto, per accidens inde se-  
quatur favor aliquis malæ fidei possessori.  
Alii cum

Dicast. de just. lib. 2. tract. 1. D. 1. à n.

151. la Croix lib. 4. n. 695.

questionem hanc mediâ distinctione resol-  
vunt, dicendo, bonam fidem non requiri

ad possessorem triennalem tuendum pro  
foro externo; nam hoc modo jam obtine-  
tur finis hujus regulæ supra relatus: requi-  
ri autem ad præscribendum jus pro foro  
interno, sicut ad alias præscriptions ordi-  
narias: de quo infra num. 45.

3. Requiritor possessio. Et hæc quidem  
imo debet esse pacifica. Ut vero talis esse di-  
catur, sufficit, quod sine lite jam præterie-  
rit triennium, quamvis ante illud fuerit  
possidenti mota lis; quia hæc regula est ad  
extinguendas lites intenta.

Lotter. lib. 2. q. 53. n. 19.

Idem dicendum etiam de contradictione  
extrajudiciali; nam etiam si contradicatio ex-  
trajudicialis, antè cœpta, per triennium  
fuerit intermissa, possidenti prodest hæc  
regula, ut cum Burato, Tonduto, & aliis  
monent

Leuren. p. 2. q. 855. la Croix l. cit. n.  
696.

Sed nec omnis lis, etiam intra triennium  
mota, possessori triennali beneficium hujus  
regulæ universim tollit; sed attendenda  
est persona illius, qui item movet. Hinc,  
quamvis Titius forte ante absolutum trien-  
nium moverit item Cajo, tamen iti trien-  
nium currit contra alios, respectu quorum  
ille manet Possessor pacificus.

Ita Gloss. Sanch. Rebello, Tondut, quos  
citat, & sequitur

la Croix n. 696. cit.

Ulterius 2dō, hæc possessio debet esse  
triennalis: & quidem ille ipse, qui vi pos-  
sessmentis ejusmodi gaudere vult favore  
hujus regulæ, debet beneficium habuisse  
per triennium; nec enim tempus, à præ-  
decessore inchoatum, & v. g. per biennium  
continuata ab eo possesso uniri po-  
test cum tempore possessionis, quam suc-  
cessor continuat, ad eum finem, ut huic  
illud prosit, & tutum eundem reddat, li-  
cet iste possessionem Antecessoris conti-  
nuet per tertium annum, & sic triennium  
compleat in sua persona.

Azor. p. 2. lib. 7. c. 35. q. 4. Palao tract.

13. D. 2. p. 33. n. 8. Chokier ad  
Reg. de Triennali. n. 85. ¶ sed an  
titulus coloratus. la Croix l. cit. n.  
697

Licet enim in præscriptione, & usucatio-  
ne rerum civilium, & profanarum pos-  
sessio Antecessoris Successori adjudicetur,  
illique prosit, acsi ab ipso haberetur.

1. Pomponius 13. ff. de acquir. vel amitt.  
possess. l. id tempus 14. ff. de usurp. & u-  
cap.

Aliter tamen res se habet in beneficiorum  
possessione; nuspian enim cautum in iure  
est hanc fictione juris continuationem de-  
seruire Successori. Et ratio est, quia titu-  
li beneficiorum omnino irregulares sunt,  
& in his nulla cadit successio juris, vel facti,  
sed celso, vel decesso Beneficiato, Titulus  
extinguitur: consequenter ipsa etiam pos-

possessio, quæ illi accessoria est, extingui debet, ut adeò possessio unius alterum juvare nequeat. Si tamen Prædecessor per triennium pacificè possedit beneficium, per ea, quæ cum Lopez, Mascarzo, & aliis docet

Garc. p. 11. de benef. c. 1. n. 12.

Successor non tenetur amplius justificare titulum, & ideo iste per hanc regulam defendetur contra molestantes. Putat autem

Dian. p. 9. tract. 9. ref. 69. q. 5.

cum Rebuffo, Ripa, Sanchez, de Luca, sufficere, si ultimus dies triennii sit incep-tus.

Denique 3. possessio hæc non debet esse interrupta. Si tamen quis per annum pacificè beneficium quoddam possedit de-in verò vi, vel metu, in virum constan-tem cadente, coactus, illud resignavit, & postquam per actionem quod meritus causâ re-stitutionem in integrum obtinuit, illud per alios duos annos pacificè possedit, gaudet ille beneficio hujus regulæ, acsi possessione non fuisset interrupta; quia, quando quis pristino juri restituitur, in illud ex toto redit.

I. quodsi minor. 24. §. restitutio 4. ff. de minor, & post Rebuff. Paris. & alios Leuren. for. benef. p. 3. q. 703. n. 3. la Croix l. 4. n. 698.

4. Requiritur titulus saltem coloratus, seu talis, qui appetet, seu probabiliter vi-deri potest esse justus. Talis est, si collat-io beneficii facta sit ab eo, qui potestatem habet illud beneficium conferendi, licet nunc adfuerit impedimentum validæ pro-visionis

Sanch. lib. 2. conf. 1. D. 31. la Croix lib. 4. n. 708.

Imò talem dici posse, ubiunque non in-ducitur privatio ipso jure, etiam si defectus adsit in conferente, existimant

Lop. alleg. 16. n. 2. & 3. & alleg. 103. n.

2. Chokier in Reg. præf. n. 89. prop. fin.

25. Ut verò ex vi tituli colorati possit favere hæc regula, debet imò titulus iste esse vel vere probatus, vel præsumptivè alle-gatus, ut si quis per decem annos benefi-cium possederit.

la Croix l. cit. n. 699.

nam, possessione tali habitâ, ut putat Tondutus, allegari potest quicunque alias melior titulus, de cætero facile obtinibili-s, putà dispensationis concessæ. Imò ad præsumendum titulum sufficit sola pos-sessio triennalis, si Episcopi omni anno vi-sent; quia non est præsumendum, quod tanto tempore toleraturi fuissent intratum, ut monent

Innoc. Dec. Ferrat. Pontan. Paris. Lotter. &c.

Et tunc præsumitur non tantum dispen-satio, sed etiam publicatio resignationis.

Leur. p. 2. q. 853. & 854. la Croix n. 699. cit. Præterea 2. probari debet, quod bene-ficium fuerit possessum ex vi talis tituli; nam, si ex vi talis tituli beneficium non possedit, possessorem non juvat ejusmodi titulus.

Card. de Luca de benef. disc. 91. n. 14. la Croix l. cit.

Denique 3. rato triennio talis titulus de-buit mansisse coloratus; nam si titulus co-loratus transiit in non coloratum, ut fit, quando Possessor triennalis pro colore suæ possessionis allegavit titulum resignatio-nis, & succellu temporis intra triennium conserat, hoc titulo illum non possedisse beneficium, regula hæc illum rursum non juvat, ut cum Rebuffo, Gomez, & aliis notant

Sanch. D. 31. n. 10. la Croix n. 699. cit.

in quo tamen casu, si neget Possessor, ti-tulum coloratum finem habere, ut post

Gomez in hanc regulam q. 43. cum communi notat Chokier n. 89. cit. istud non per Possessorem, sed per acto-rem probandum est.

stò requiritur, ut beneficium non possideat contra Decreta Concilii Tridentini, uti est 1mò. ut non habeantur plu-ra beneficia incompatibilia. sess. 7. c. 4. 2. ut habeatur unicum competens ad sus-tentationem. sess. 14. c. 17. 3. ut filius Cle-rici non habeat beneficium in Ecclesia, ubi Pater ejus habet, vel habuit beneficium. sess. 25. c. 15. Ita enim statuit expressa declaratio S. Congr. apud

Garc. de benef. p. 11. c. 5. n. 329. Et quidem, quod Possessorem beneficio-rum incompatibilium non defendat hæc regula, monet

Wamel. conf. 233. in addit. de prabend.

Garc. c. 5. cit. n. 379. Chokier ad hanc reg. n. 49. & hoc teste declaratum est à S. Cong. Conc.

Rationem dat, quia Concilium Tridenti-num, ejusque decreta non intrat hæc re-gula, prout resolvit

Rota in Visetensi Canonicatus §. Julij 1610. coram Coccino apud Farin. de-cis. 310. p. 2. in noviss.

Quod tamen alii limitant, si sit declara-tus per sententiam; nam, antequam per sententiam declaretur,

Gomez ad dið. reg. q. 14. ¶. iſtis ta-men non obſtantibus. Chokier ibid. n. 86. cum aliis

volunt, quod possidens duo beneficia in-compatibilia, non excludatur beneficio iſtius regulæ, ex ratione, quia dispositio hujus regulæ duos duntaxat casus excipit, nempe si limoniace Possessor ingressus sit, & si beneficium sit referatum reservatio-ne generali, in corpore juris clausa, scili-cet vacans per mortem in Curia, in quibus casibus Papa statuit, regulam non habere

(Eccc3)

26.

27.

lo.

locum, ergo in aliis non exceptis regula firma permanet. Quod maximè procedit in eo, qui diu, putà, per decentium beneficium possidet; quia tunc, ut num. 25. dictum est, militat pro eo titulus dispensationis præsumptus, & regula hæc contenta est titulo præsumpto, neque requirit, ut dispensatio probetur, sed sufficit, si al-legetur.

Navarr. *conf. 4. de Offic. Ord. & cons. 20. de prab. Paris. de resign. lib. 11. q. 14. n. 27. & lib. 3. q. 6. item lib. 10. n. 9.* Cassador. *decis. 2. de caus. poss. & propri. n. 2. & 3.* Gomez *l. cit. q. 26.*

Greg. Tholos. *de benef. c. 25. n. 15.*

28. Si tamen constet, possessorem nisi titu-lo aliquo invalido præcedente, ille non juvabitur beneficio hujus regulæ; nam, ubi manifestè probari potest de fundamen-to invalido, hujusmodi titulus non dat va-lorem, quippe qui dicitur emanare de faeto, & non jure.

Felin. *in c. in nostra. de Rescript. Boér. decis. Burgund. 24. n. 6.*

Ethoc est perpetuum in Beneficialibus, ut vitiosus ingressus nunquam dari debeat. Et ideo cautius fecerit triennialis Possessor, sive in hoc casu beneficiorum incompatibili-um, sive in aliis, si titulum non exhibeat, alleget tamen coloratum, ut non omnino injusatam possessionem habuisse videatur. At si Titulum, invalidum quidem, & nullius momenti, sed tamen non vitiosum ex-hibeat, probabiliter locus est regulæ extra calus in ea exceptos, tum quia regula hæc veri tituli probationem non exigit, tum quia super nullitate, & invaliditate tituli videtur Possessor fuisse tacite dispensatus ab Episcopo, quippe qui statutis temporibus Diœcesis suam visitando, omnium beneficiorum, in ea constitutorum, statu-m, & Possessores sibi cognitos habere censemur.

Chokier *ad dict. reg. n. 89.* qui tamen bene monet, hoc procedere so-lum in foro externo; nam in foro animæ talis Possessor tutus non est, sed tenebitur beneficium dimittere, quandocunque sci-vert, sibi Canonicum titulum ad id obti-nendum deficere.

Covar. *in reg. Possessor. p. 2. §. 10. n. 10.*

29. 6. Ingressus non debet esse simoniacus. Talis esse censemur, quando quis sciens, commissam esse Simoniam à se, vel ab alio in adeptione beneficii, illud ingreditur. Contra est, si ipso ignorante, commissa sit simonia ab alio, v. g. patre ipsius; tunc enim non excluditur à beneficio istius regu-læ, prout monent

Rebuff. *de pacif. possess. n. 242. alias 193.* Ugolin. *tab. 4. c. 6. §. 4. n. 2.* Garc. *de benef. p. 8. c. 1. n. 15.* Suar. *de simon. c. 57. n. 38.* Less. *lib. 2. de just. c. 35. n. 140.* Palao *tract. 12. D.*

2. p. 33. n. 11. Card. de Luca *de be-nef. disc. 91. n. 6.* Leuren. *p. 2. for. be-nef. q. 873.* la Croix *l. 4. n. 709.* dis-sentit Chokier *ad banc regulam n. 60.* vel potius limitat,

dicens, huic ignorantì, simoniam circa adeptionem beneficii sui commissam fuisse, prodesse regulam, ut possit excipere contra Auctorem, non tamen illum turum esse in conscientia, nisi petat absolutionē à Sanctissimo cum nova provisione. Alii tamen cum allegatis illimitate hanc doctrinam accipiunt, ex ratione; quia, cum privatio be-neficii hujus regulæ poena sit, extendi illa non debet ad simoniam, in qua Possessor sine culpa est.

Similiter 2dò Beneficium hujus regu-læ non tollitur juxta Gomez, & Chokier, si quis à principio sit ingressus cum titulo, sed postea commisit simoniam; aut si antea commisit simoniam, sed postea superven-erit titulus coloratus. Rationem dant, quia non est ingressus vi simoniae, sed alterius tituli. His tamen contradicit

Lugo *de just. D. 7. n. 127.* ex ratione; quia subjectum illud erat inca-pax. Sed responderi potest, incapacita-tem istam tantum fuisse ab extrinseco, ideo-que non obstat esse regulæ. Quare juxta illos DD. privatio hujus beneficii intelli-genda est de eo, qui ex solo titulo simonia-co possidet. Et hic quidem, ut post Lu-go notat

Haunold. *tom. 1. de just. tract. 5. n. 280.*

non juvatur hac regulæ, quamvis dispen-satus, & absolutus sit à simonia, & poenam; quia de hujus poenæ sublatione debuisset fieri mentio in dispensatione, vel absolu-tione.

Præterea 3. non obstat simonia men-talis tantum, vel conventionalis; sed ut excludatur effectus hujus regulæ, debet præcessisse simonia realis utrinque comple-cta, ut cum aliis probabiliter docet

Navar. *in c. fin. de Simon.* alii tamen volunt incurri hanc poenam per simoniam conventionalem, si per illam quis affectus sit beneficium Ecclesiasti-cum, licet premium simoniacum nondum datum sit. Ita

Anan. *in c. in nobis de simon.* Redoan. *p. 4. c. 9. n. 7. & p. 2. c. 17. n. 24. &c. 11. n. 32.* Rebuff. *Prax. tit. de Simon. in resign. n. 9. & facvent Gom. in praesen-tem regul. q. 12. & Chokier ibid. n. 59.*

Rationem dat idem Chokier, quia pro-missio, & datio pari passu ambulant, non solùm in materia spirituali, sed etiam in pro-fana. Proinde sicut ille, qui per simo-niam realem beneficium acquisivit; illud tenetur dimittere, ita etiam ille, qui illud consecutus est per solam promissionem de-dando.

7. Pos-

32. 7. Possessor non debet esse intrusus.

Intrusus autem in genere

ut post Dominic. Felin. Selv. Rebuff. Gom. notant Covar. l. 3. var. c. 16. n. 7. Azor p. 2. lib. 7. c. 35. q. 10. & colligitur ex c. ad aures 3. de Excess. Prælat. c. quia diversitatem s. de concess. præb. c. cùmjam dudum 18. de præb.

dicitur is, qui accipit, vel retinet beneficium, sciens, nullum sibi jus in illo competere. Sed strictius loquendo alii cum

Palao tract. 13. D. 2. p. 33. n. 11. communiter per intrusum intelligunt imò illum, qui beneficium accipit ab eo, quem scit carere potestate conferendi illud, putat, qui excommunicatus, suspensus, interdictus, aut alio ex capite potestate conferendi privatus est.

c. tanta 18. de Excess. Prælat.

2. qui propriâ authoritate in illud se ingredit.

c. ad aures, & c. cùmjam dudum citt.

Si tamen habeat titulum coloratum, & vigore illius accepit possessionem propriâ authoritate, hancque possessionem per triennium pacificè continuavit, per ea, quæ docent

Rebuff. prax. tit. de mod. amitt. benef. n. 28. Gomez ad reg. de trienn. q. 39.

per totam, Chokier ibid. n. 85.

tutus erit exceptione hujus regulæ, quamvis non quoad alios juris effectus. 3. qui post electionem ante confirmationem beneficium administrat

c. avaritia s. de Elect. in 6.

quia talis jam se ingerit in beneficium absque justo titulo: imò per dict. cap. ob hanc intrusionem jus, ex electione sibi competens, amittit. Idem dicendum 4. de eo, qui absque legitima institutione fructus beneficii percipit, aut titulo carens illud administrat. 5. pro intruso habendus est, qui cum excommunicatione, suspensione, vel interdicto ab Officio beneficii adeptus est.

6. qui detinet beneficium, postquam per sententiam Judicis ab eo amotus est, nisi ab illa jure appeleret.

33. Idem dicendum est 7. de eo, qui detinet beneficium, quo ipso jure privatus est.

Felin. in c. in nostra 32. de rescript. n. 2. Lug. de Just. D. 7. n. 132. quibus addit.

Covar. Vafq. Pal. & alios.

Accedere tamen debet saltem sententia declaratoria criminis, si ob crimen privatus est; quia, quandiu hæc sententia non accedit, & executio illius fit, possessionem Beneficii retinet. 8. Pro intruso habetur, qui possessionem beneficii, à Romano Pontifice concessi, accipit, non expeditis à Papaliteris, sed solâ supplicatione signata

Garc. de Benef. p. 4. c. 2. n. 47. Azor p. 2. c. 35. q. 10. circ. fin. Piasac. prax. Epist. in Proœm. n. 4. & seqq. Chokier ad

Reg. de Trienn. n. 82. Palao tract. 13. D. 2. p. 33. n. 11. & alii communius contra Sanch. lib. 2. conf. 2. D. 21. & alios quosdam.

Ratio est, quia, licet per solam signaturam perficiatur gratia, nec requiratur semper scriptura, hic tamen requiritur ex dispositione speciali facta à Julio III, quæ est in Ordine 33, & refertur à Garcia l. cit. Et hinc, quoisque literæ expeditæ non sunt, Collatarius non habet legitimum titulum possessionem accipiendi.

9. Aliqui pro intruso habendum volunt cum, qui violenter beneficium occupat, tametsi ad illud legitimum titulum habeat. Ita nominativi

Lud. Gom. in Reg. de trienn. possess. q.

48. Azor q. 10. cit. qui hoc defumt ex c. eum, qui 18. de præb. in 6.

rationem dant, quia violentus beneficii occupator jus, in beneficium acquisitum, amittit ipso jure. Ergo sine jure in beneficium se ingerit, & sic intrusus est. Contrà vero

Covar. lib. 3. var. c. 16. n. 7. ¶ illud prætermittendum non est. Vafq. de benef. c. 4.

¶ 4. dub. 5. n. 252. & seqq. Palao n. 11. cit. cum aliis

putant, talen, si titulum legitimum habeat, pro intruso non esse habendum; nam, esto, quod ob violentam occupationem titulum ipso jure perdat, tamen, ut hæc amissio effectum habeat, accedere sententia saltem criminis declaratoria debet. Proinde eo usque beneficio regulæ de triennali gaudet; quia hæc regula nihil habet de Possessore violento, sed solum Concilium Basileense, quod in eo vim Legis non habet, ut notat

Lugo de just. D. 7. n. 128.

Hinc disparitas est inter violentum occupatorem, & intrusum, quod violentus occupator beneficii privandus veniat beneficiis obtentis per c. eum, qui cu. intrusus verò sit factus inhabilis ad beneficia, quæ per intrusionem tentat acquirere. Ita cit. DD. Porro violentus occupator sentetur esse, qui beneficium occupat, etiamsi titulum Canonicum habeat, invitis, & contradicentibus Possessoribus, licet resistere contumaciam fuerint.

Covar. n. 7. cit. ¶ oportet. Vafq. dub. 5. cit. n. 251. Palao dict. n. 11.

Aliud est in Spoliatore, qui viâ facti beneficium alienum occupavit per meram usurpationem; nam hic est verus intrusus.

Non omnis tamen intrusionis privat beneficio regulæ de triennali, sed, ut advertunt cum aliis

Leutens. p. 2. q. 862. la Croix lib. 4. n.

714. in tribus sequentibus duntaxat casibus. 1. Si ex provisione alterius, quam Papæ, ingressus

34.

35.

gressus sit beneficium vacans per obitum in curia. 2. Siquis suscepit administrationem Beneficii, vel dignitatis ante expeditas litteras, aut confirmationem obtentam. 3. Si intrusio, aliquo ex praeditis modis commissa, vel nullitas, aut vitirositas tituli sit notoria, vel manifeste probetur.

36.

Denique 8vō ad hoc, ut quis gaudeat beneficio hujus regulæ, requiritur, ut beneficium, quod quis possidet, non sit reservatum propter obitum in curia; nam, ut cum Gomez, & aliis observant

Sanch. lib. 2. cons. 2. D. 34. n. 5. Card. de Luc. de Benef. dist. 91. n. 18. la Croix lib. 4. n. 702.

non obsunt aliae reservationes, nisi his reservationibus annexum sit Decretum irritans, quod impedit colorem tituli, & possessionē omnem. Ex hac tenus disputatis in Ordine ad resolutionem hujus 2dæ quæstionis, utrum, si quocunque tandem ex virtute provisio de Decanatu prima, facta ab Ordinario respectu Liberii, fuisset nulla, ipse tamen Liberius juvetur regulā de triennali, oriuntur variae rationes dubitandi. Nam

37.

Rationes dubitandi

Pro negativa militare videtur. 1mō Quia, cùm ante Decanatum adeptum habuerit aliud beneficium incompatibile, nempe Parochiale M. & duo incompatibilis simul acquiri non possint, videtur fuisse inhabilis ad Decanatum quæst. acquirendum. 2. Videtur non fuisse in bona fide, nam penes se habuit literas Apostolicas, per quas declaratum fuit, quod prior provisio, facta ab Ordinario, viribus non subsistat, sed Decanatus adhuc, ut prius, per obitum vacet, atque idcirco iussus est auctoritate Apostolica in possessionem illius, & jurium ejusdem a delegatis immitti: quo tamen non obstante, institutionem, & immissionem in possessionem illius non petiit, sed sine hac eundem cum beneficio Parochiali retinuit. Ex quo 3. sequitur, etiam deficere possessionem legitimam, quippe in quam vi literarum Apostolicarum debuisset primum per delegatos immitti. Fuisse ergo videtur tantum detentor, non verò Possessor Decanatus. Ex quo iterum 4. Auit, quod non habuerit titulum etiam coloratum, quippe cùm prior titulus, quem obtinuit per provisionem Ordinarii, vi literarum dictarum, provisionem hanc irritam decernentium, omnino probetur fuisse nullus, atque inefficax. 5. Videtur fuisse intrusus; cùm enim ex iisdem literis sciverit, ex memorata primâ provisione sibi jus nullum competere, nihilominus Decanatum hunc hucusque retinuit, & administravit.

38.

Solvatur.

Verum ad argumenta ista sufficienter responderi potest. Ad 1. obtinens unum beneficium, incompatibile cum alio,

quod quis consequi intendit, ad hoc consequendū inhabilis redditur solum sub conditione, nisi is vel primum velit dimittere, vel dispensationem super utroque retainendo intendat petere: quod secundum fecit Liberius, dum à sancta Sede perit, & obtinuit facultatem utrumque retenendi. Ad 2. juxta dicta num. 20. ad hoc, ut possessio triennalis prospicit vi regulæ de triennali Possessori, possessionem suam eò usque continuanti, verius bona fides non requiritur saltem ad effectum, ut regula ista in foro externo eundem defendat. Ad 3. possessio ejus fuit pacifica, triennalis, non interrupta; quod enim per dictas litteras Apostolicas interruptam illam non fuisse credere merito potuerit, rationem habuit ex dictis ad questionem primam. Et hinc Ad 4tum habuit in hac sua possessione titulum coloratum, & sufficientem, ut defendere se possit exceptione possessionis triennalis; nam collationem Decanatus accepit ab eo, qui potestatem habuit hunc conferendi, hōcque ipso titulo eundem possedit: quod probare potest ex ipsa institutione, ab Ordinario respectu ejusdem facta. Ad 5. hoc ipsum, quod ob litteras Apostolicas ex prima provisione jus nullum ipsi competit, adhuc sub Judice lis est, consequenter, cum ex communi, vulgataque regula melior sit conditio possidentis, jure merito usque ad resolutionem hujus dubii Decanatus quæst. possessionem continuare potuit.

Quare ad quæstionem praedictam judico dicendum, Liberio favere hanc regulationem saltem in ordine, ne molestari circa Decanatum hunc suum à quoquam alio possit, aut ipse impetrari. Nam imo vi hujus regula beneficium per triennium pacifice possidens ex collatione illius, ad quem pertinet talis beneficii collatio &c. dummodo non habuerit ingressum Simoniacum, vel beneficium sit reservatum in jure communi, super illud amplius molestari non potest, atque, si illud, tanquam vacans, impetratum ab alio fuerit, ejusmodi impetratio nulla esse pronuntiatur, atque sic lites antiquæ per tales possessiones, tamdiu continuatas, extinguuntur &c. atque sic iuxta Alphonsum Sotto apud

Chokier ad eand. Reg. n. I. quotidie practicatur, talem autem possessionem sic continuatam habet pro se Liberius, ergo &c.

2. Idem Liberius ad ita possidendum fuit habilis, vel saltem habitatus per dispensationem Pontificiam, per quam concessa fuit ipsi retentio Parochæ M. cum Decanatu Ecclesiæ Collegiate L. neque ingressus ad hunc Decanatum fuit simoniacus, aut ipse Decanatus de jure reservatus Summo Pontifici aliquâ reservacione Generali, in corpore juris clausa, quippe cùm secundum hoc in Collegiatis Ec-

40.

Ecclesiis sit tantum reservata dignitas prima, non autem secunda, qualis est præsens Decanatus, neque Decanatus iste vacaverit per mortem in Curia.

3. Dictum Decanatum idem Liberius possedit ultra triennium, & quidem pacifice, ita, ut nunquam medio hoc tempore fuerit ei mota lis circa ipsum Decanatum: consequenter lis omnis circa illum in futurum movenda pro extinta haberi debet; neque enim medio hoc tempore circa possessionem illius fuit unquam extrajudicialiter interpellatus, multò minus hoc tempore intercessit ulla citatio, per quam interrumperetur possessio.

4. Esto, fuisse lis aliqua mota supertitulo Decanatus, ista non potuisset interrumpere possessionem fructuum; nam pacificus Possessor dicitur, qui percipit fructus, licet illi moveatur lis super titulo beneficii.

Chokier ad hanc regul. n. 65.

additâ ratione, quia talis interruptio requiritur, quæ exceptionem fructuum, & perturbationem concernat, juxta ea, quæ notat

Bald. in l. ordinarii. 4. col. 7. deinde quæro de R. V. Gloss. in l. extat. 13. ff. quod met. causâ &c.

5. Denique Liberius, ut probatum est in responsive ad quæst. 1. mā fuit Possessor bona fidei: & si etiam male fidei fuisse, regula ista dicta num. 20. eum defenderet quoad possessionem, ita, ut, si ista per triennium pacifice continuata fuerit, in ea ab alio turbari deinceps nequeat.

### QUÆRITUR III.

*Quem effectum in Liberio, si hic gaudeat beneficio regula de triennali, sortiatur eadem regula?*

41.

Res potissimum regulae hujus effectus DD. enumerant. Primus est, quod Possessor triennalis circa possessionem beneficii, per triennium pacifice continuatam, amplius molestari non possit. 2. Quod titulum, & proprietatem, vel quasi in beneficio ita possesso tribuat. 3. Qui ex hoc secundo sequitur, quod fructus beneficii sic posselli imperturbatus possit percipere.

Quoad imum, effectum omnes consentiunt, conceduntque, per regulam de triennali securum, tutumque reddi Possessorem, qui triennio possedit beneficium cum requisitis, in responsive ad questionem præcedentem descriptis, ne super illa molestari, aut ipsum beneficium, tanquam vacans, ab alio impetrari possit. Ita cum communī

Lotter. lib. 2. q. 53. n. 8. Card. de Luca R. P. Schmalzgrueber Confilia,

benef. disc. 91. n. 2. Engl ad lib. 3. Decret. tit. 5. n. 39. Leuren p. 2. q. 850. la Croix l. 4. n. 690.

ita quidem, ut per eam tollantur omnia acta, & sententiæ antea latæ, ut habet regula ista in fine, ibi, antiquas lites, super illis motas, penitus extinguendo: adeoque ligantur os judicii, & manus parti adversæ.

Card. de Luca. l. cit. n. 3.

Potest proinde possessionem ejusmodi habens exceptionem opponere adversus molestantem, & beneficium impetrantem, & sic ab actione illum repellere.

Palao tract. 13. D. 2. p. 33. n. 4.

& 8.

Defenduntur autem hac regula quoad hunc primum effectum probabilius Possessores triennales pacifici etiam alias inhabiles, & incapaces, modò non sint incapaces ex simonia, vel intrusione, ut contra Rebuff. de pacific. possess. à n. 106. Azor p. 2. lib. 7. c. 35. q. 1. in fin. docent

Paris. conf. 96. n. 1. vol. 4. Navar. in c. siquando. de rescript. except. 10. n. 9. Gomez ad Reg. de triennal. q. 26. q. 27. & 28.

Ratio est, quia hæc regula, dum excludit simoniacos, & intrulos, tacite comprehendet omnes alios, qui ex aliis capitibus inhabiles sunt. Neque obstat, quod non sit credendum, Pontificem velle favere illis, qui beneficia retinere nequaquam posunt, præcipue, si aliquo modo constet de mala fide, quæ certè præsumi debet, quando inhabilitas ex iure provenit; nam ignoratio juris non præsumitur. Nam per hanc regulam Pontifex non tam intendit favere Possessoribus, ut retineant beneficium, sed ne litibus ad petitionem partis impetratur. Videantur dicta num. 18. & 19. juxta quæ doctrinam hic allegatam volo intellegi.

42.

Interim tamen tam de his inhabilibus, quam de aliis quibuscumque triennalibus Possessoribus, qui tantum ex titulo colorato beneficia possident, certum est, quod regula hæc illos solùm defendat contra privatum, qui agere contra illos vult ex alia impetratione, non autem contra Ordinarium, vel alium Superiorum, visitantem, aut inquirentem in titulum; quia Ordinario non obstat hæc regula, ut in terminis docet

Felin. in c. sicut. n. 31. de sent. & re jud.

Proinde huic triennalis Possessor tenetur probare titulum saltem coloratum, ut cum Felino monent

Lotter. lib. 2. q. 53. n. 8. la Croix l. 4. n. 692. cum aliis.

Qui proinde Possessorem examinare poterit, quæ ratione, & quo titulo beneficium possideat juxta textum

c. grave 29. de prob. c. ordinarii

3. de Offic. Ord. in 6. & pluribus

(Ffff) trac

tradit Covar. Reg. professor. p. I. §. 10.  
concl. 8.

44.

Quoad secundum effectum, an scilicet triennalis possessio conferat hujusmodi possessori beneficium proprietatem, & titulum, si forsan hic defuit, controvertunt DD. Et quidem in hoc omnes convenient, quod, si quis beneficium malâ fide possideat, ille jus nullum in beneficio ita possesso acquirat, quantumvis longissimo tempore illud possideat, prout expressè tenent.

Rebuff. tract. de pacif. possess. n. 28.

Navar. lib. 3. conf. 41. de probend.  
in fin. Edit. 2. Sanch. lib. 7. moral. c.

29. n. 91. Pal. tract. 13. D. 2. p. 33. n. 1.

Etratio est 1. quia malæ fidei possessor nullo tempore prescribit.

Reg. possessor 2. de R. f. in 6.

2. Quia talis Possessor vitium intrusionis, consequenter inhabilitatis incurrit. 3. Quia non meretur ex delicto suo reportare commodum.

45.

Dubium inter DD. est de Possessore triennali, bonâ fide beneficium possidente, sed absque legitimo titulo. In quo affirmativam tenent

Navar. l. 3. conf. 41. & 42. de prob.

Edit. 1. & in 2. Edit. tit. de Paroch. cons. 2. in fin. & tit. de probend. cons. 30.

Rebuff. l. cit. n. 22. Sanch. lib. 2. c. 1.

n. 21. Zyp. lib. 3. conf. 2. Lug. de just.

D. 7. n. 107. Dian. p. 9. resol. 67. &

p. 11. tit. 5. resol. 4. q. 2. Haunold.

de just. tom. 5. n. 284.

Fundantur imò auctoritate Concilii Basileensis, à quo primum tradita est regula, quod teste Zypæo sic habet, non possit postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam ratione juris novi impetrati molestari. 2. quia similis præscriptioni est talis possesso: unde, sicut possesso bonorum sacerdotalium, bonâ fide, & legitimo tempore continua, tribuit jus ad ista horum Possessori, ita etiam Possessori beneficium triennali ad beneficium ita possessum. 3. quia bona Ecclesiastica præscribi à bonâ fidei Possessore possunt. quare non etiam beneficia Ecclesiastica; neque enim in his retinendis in possessore triennali deficit justus titulus, scilicet bonum Reipublicæ ad evitandas lites, & conscientias Possessorum pacandas. Proinde Pontifex censeri debet titulum in beneficio concedere eā ipsâ ratione, quā Princeps sacerdotalis usucacione transfert dominia rerum. Et hæc mens Pontificis 4. colligitur ex eo, quia is in hac regula prohibet Possessorem, triennio beneficium pacificè possidentem, molestari, & beneficia ab ipso sic possessa ab alio impetrari: ex quo inferunt, eum jus ex tali possessione acquirere, ob quod justè, & legitime possit beneficium retinere. Nam 5. per hoc ipsum, quod Papa in hac regula mandet non molestari eum, qui triennio possedit, ut apud Chokier ad regul. de triennali notat

Alphonsus Sotto n. 19.  
videtur ipsi dare jus percipiendi fructus ex beneficio ita possesso. sed jus licite percipiendi fructus ex beneficio est ipse titulus beneficij. igitur per hoc ipsum videtur adjudicasse illi beneficium. Unde non obest, quod titulus, ex quo ille beneficium possidere coepit, fuerit duntaxat coloratus, & re ipsa invalidus; nam per regulam istam titulus hic dein validatur, fitque nō vnu titulus, etiam quoad judicialia, & quoad DEUM. Neque obstat, quod confirmatione non faciat firmum, nisi quod alias legitimū est; nam, si Papa confirmatione impetratur ex certa scientia, tunc videtur id, quod nullum a principio erat, firmum facere, ut moneretur.

Gloss. in can. placuit. in fin. caus. 21. q. 6. Abb. in c. examinata 7. de confirm. util. & inutil. n. 6. Suar. lib. 8. de legib. c. 18. n. 6. Donat. prax. regul. tom. 1. p. 1. tract. 11. q. 5. n. 4. Oliv. For. Eccl. p. 1. q. 40. n. 6. Pithing dicit. tit. n. 8. Wieltner ibid n. 4.

Contra possessorem triennalem, etiam 46 bonæ fidei solum in Possessorio, non autem in petitorio defendi, adeoque in hoc posteriore cum impeti, & privari beneficio, per triennium pacifice possesso, posse, si post hoc tempus erumpat vitium, & nullitas tituli, docent Gloss. Felin. Covar. Gomez, Azor, Molin, Chok, Palao, & alii, quos sequitur

Leuren. p. 2. q. 827. & 828.

Rationem dant imò quia beneficia Ecclesiastica solà institutione Canonica, & auctoritate Superiorum obtinentur.

c. ex frequentibus 3. de infit. c. contingit  
9. de dol. & contum. & c. beneficium 1.  
de R. f. in 6.

consequenter sine hac quæcumque possesso, etiam per 1000. annos continuata, non proficit, sed beneficium tale, ostensorio tituli vitio, semper ab alio impetrari potest. 2. Quia per regulam de triennali solum prohibetur, ne Possessor triennalis molestetur litibus, quod servari potest, quamvis ipse, agnoscens vitium sua possessionis, vel provisionis, teneatur vel beneficium ita possessum dimittere, vel dispensationem ad illud retinendum petere, & impetrare, quippe cum ad hoc sufficiat, si opponens aliquid contra possessorum non audiatur.

Felin. in c. sicut. n. 3. de sentent. & re judic.

Non ergo per regulam istam ligantur manus Ordinario, quin hujusmodi possessorum, non munitione legitimo titulo amovere à beneficio, & ictud conferre alteri possit. 3. Quia alias non appetat, quomodo possit Ordinarius ab eo, quem ictu triennio possedisse, exigere titulum beneficij, quippe qui juxta argumentum 4. & 5. num. 45. allatum, hoc ipso haberet titulum.

N.

47. Neque obstant responsiones, quas prioris sententia authores his tribus argumentis opponunt. *Ad 1um dicunt*, hanc præscriptionem esse loco institutionis Canonice, quippe cum huic, per triennalem possessionem obtentæ, SS. Canones vim institutionis Canonice tribuant. *Ad 2um ajunt*, hoc ipso, quod Papa mandet, talem possessorem super possessione, & fructibus non molestari, sufficienter eidem adjudicari jus ad licite percipiendos fructus ex beneficio, quod jus est ipse titulus beneficii. *Ad 3tum* adhuc posse subesse vitia, impeditia hunc regulæ effectum, ut sunt inhabilitas possidendi, ingressus per simoniam, vel intrusionem, mala fides, possessio non pacifica &c. Non, inquam, obstant hæ responses; nam 1. regula cit. est generalis, & generaliter negat, beneficium Ecclesiasticum sine Canonica institutione liceat obtineri posse. non habetur autem ex ullo Canone, quod institutionis Canonice vim vigore regulæ de triennali possessio, per triennium continuata, habeat. 2. Jus percipiendi fructus rei bonâ fide possellæ commune est cuilibet Possessori, quamdiu talis fide possessionem continuat, nec tamen per hoc ille proprietatem, vel dominium rei possellæ acquirit. Non ergo ex fructuum licta perceptione sequitur, quod Possessor triennalis beneficii per hoc, quod fructus illius percipere permittatur, etiam in illo obtineat titulum, vel proprietatem. 3. Non in iis duntaxat casibus, quos responsio hæc tercia allegat, sed in quibusvis aliis à Possessore beneficii exigere titulum possessionis, illumque examinare Ordinarius potest: quod frustra fieret, si possessio triennalis tribueret novum titulum. Dico ergo, sententiam affirmantem, quod per triennalem possessionem vi regulæ de triennali jus, & novus titulus acquiratur, esse quidem probabilem, quam proinde quis sequi in foro conscientiæ, ut verè probabilem, potest; negativam verò majore ratione subniti, & ideo sequendam, si quis in foro externo securus esse in possessione sua velit, quippe cum contra Ordinarium, ut dictum est num. 43. possessorum triennalem non defendat hæc regula.

48. Quoad tertium effectum, scilicet perceptionem fructuum, ex beneficio, ita possesso, fluentium, in sententia, quæ defendit, quod vi regulæ de triennali adjiciatur titulus, & proprietas in beneficio, res clara est; nempe illos præscribitur cum beneficio, adeoque per lapsum triennii. Ita

Molin. tom. 3. de iust. D. 718. n. 1.

Sanch. lib. 2. conf. 1. D. 34. n. 17. Dicast. de restit. D. 5. n. 84. la Croix lib. 4. n. 694.

quia, ut cit. Molina advertit, numerantur inter res mobiles, res autem mobiles cum R. P. Schmalzgrueber Consilia.

certo titulo præscribuntur triennio, sine titulo 30. annis, etiam contra quamcumque Ecclesiam, ut cum cit. DD. & pluribus aliis docet

Haubold. tratt. 5. de iust. n. 271. Addunt Sanchez, & alii cum Dicast. à n. 85. præscribi fructus per triennium, etiam si collecti sint ante triennium elapsum: item ad hos præscribendos sufficere generalem titulum pro suo; nam in præscribendis accessoriis hic titulus absque alio speciali sufficit. Fructus autem præscribuntur tanquam accessorii rei, bonâ fide possellæ. ergo &c. In sententia, negante, per possessionem triennalem vi regulæ de triennali titulum, & proprietatem in beneficio adjici, idem de possessore beneficii, qui hujus possessionem per triennium bonâ fide continuavit, dicendum est, quod de bona fide possessore alterius cuiusvis rei, scilicet, eum lucrari fructus, ex beneficio perceptos, quos bona fide consumpsit: quod etiam probabiliter dicendum de iis, qui æquivalenter existant, seu quos consumendo factus est ditior. Extantes autem formaliter restituere debet, exceptis illis, qui functioni, & labori respondent.

Ex hactenus deductis, ad hanc questionem 49. triam emanat responsio. Imò cùm juxta dicta num. 39. faveat Liberio regula de triennali, ipse juxta num. 41. circa possessionem, tamdiu bonâ fide continuatam, molestariab alio privato tertio nullatenus poterit, sed valebit contra evitdem exceptionem regulæ hujus opponere. 2. Si

tamen Superior istud petat, tenebitur eadem exhibere titulum, qui eundem juxta dicta num. 43. examinare poterit. Cùm ergo titulus retinendi Decanatum cùm Parochia M. dependeat ex dispensatione Apostolica, eo casu debebit exhibere litteras dispensatorias. 3. Quia verò in his literis pronuntiatur prima provisio de Decanatu fuisse invalida, & ideo in ipsis Pontifex Liberum de novo institui in Decanatu mandat, haud dubiè Ordinarius, ostensis his literis, quaret, an nova hæc institutio facta sit, quo casu, ne censeatur cessasse titulus possessionis, allegari debebit titulus acquisitus ex prima Provisione, quippe qui adhuc ex dictis num. 12. & seqq. probabiliter valet, cùm nullum appareat in ea vitium; nam, allegato hoc titulo, perget prædelle beneficium regulæ de triennali. 4. Quia tamen possesso triennalis vi hujus regulæ per dicta num. 46. solum possessorem defendit in possessorio, non verò in petitorio, adeoque jus, & proprietatem beneficii posselli non tribuit, in foro externo, si causa proprietatis agatur, etiam nunc Liberius impetri, & ubi in hoc foro eruperit vitium, & nullitas tituli privari Decanatu, sic possesso, posset. scilicet quia verò idem Liberius passim habetur pro legitimè instituto, & ideo periculum non est,

(Ffff 2.)

est,

est, ne appareat vitium; insuper cum sit valde probabile, quod prima institutio ab Ordinario valide facta sit, ille in foro conscientiae sequi poterit alteram sententiam quem probabilem, quam per dicta num. 45. affirmat, per triennalem possessionem vi dictae regulae tribui novum titulum, quo casu per dicta num. præced. præscriptissime censetur fructus perceptos, & ab iis restituendis absolvetur.

Decisio præsentis Controversiæ.

**50.** Hæc elucet ex hactenus dictis. Dicendum igitur imo institutionem primam Liberii in Decanatum, factam ab Ordinario, videri fuisse validam juxta dicta ad quæsiōnēm 1am; nam, si invalida fuisset, talis fuisset, vel quia Decanatus est incompatibilis cum beneficio Parochiali prius obtento, vel quia Liberius, ubi Decanatus ipsi collatus fuit, istum cum Parochia ante dispensationem obtentam retinuit. Non exsurgit autem nullitas collationis ex primo capite; quia, ut dictum est num. 12. & 13. incompatibilitas beneficiorum sola non invalidat actum, quo alicui conferunt beneficium, quod cum prius habito est incompatibile, sed solum imponit necessitatem vel dimittendi primum, utpote tali calu ipso jure vacans vel impetrandi dispensatione ad retinendum utrumque. Sed neque ex secundo capite relato elucet nullitas, quia scilicet Liberius cum Decanatu retinuit Parochiam M. & fructus ex utroque perceperit; quamvis enim per dicta num. 14. & allegatum ibi Decretum Concilii Tridentini retinens primum beneficium cum secundo incompatibili postea obtento, amittat etiam hoc secundum, hæc tamen amissio, cum poena sit, juxta num. 15. dolum, vel culpam latam supponit, quam in Liberio neutriquam præsumi potest, quippe qui circa retentionem Parochiæ simul cum Decanatu se sanctæ Sedis subjicit judicio, dimisurus illam, si ista in hoc dispensare renueret. Debuit ergo vel casus in supplicatione S. Sedi oblatâ non fuisse recte relatus, vel ex alio capite profecta fuisse nullitas, ut dictum est num. 16.

**51.** Quodsi vero ex quocunque capite provisio prima fuisset nulla, ipsi tamen Liberio juxta num. 39. 40. & 41. prodesset regula de triennali, saltem ad effectum, ut molestari in possessione Decanatus a nemine alio deinceps possit. Imo, cum ille bona fide eundem semper hucusque posse derit, patrocinareretur eidem, stante etiam nullitate primæ provisionis, hæc regula etiam quoad proprietatem, quippe quam in beneficio per possessionem, triennio pacifice, & bona fide continuatam, acquiri volunt DD. num. 45. allegati: quorum sententia cum admodum probabilis sit, potest Liberius liberè, & licite sequi in conscientiæ

tit foro, & ideo, cum Beneficiatus, habens legitimū titulum, seu proprietatem beneficij, si hujus onera impleat, lucretur fructus ejusdem, non male creder, se ab onere restituendi fructus hactenus perceptos ex utroque beneficio absolutum, & quidem non ab illis tantum, quos post triennium possessionis impletum percepit, sed etiam, quos collegit intra triennium, à tempore institutionis ab Ordinario factæ, ut dictum est num. 48.

**3.** Quia vero, ut dictum est num. 46. contrarium multi alii DD. tenent, defenduntque, triennalem possessionem vi regulæ de triennali solum defendi in Possessorio, non vero in petitorio, quod jus, & titulus, seu proprietas beneficij ex eorum opinione non acquiratur sic possidenti, idcirco iste in foro externo non stabit ita firmus, ut non aliquando in petitorio circa valorem tituli impetitionem patiatur. In præsenti quidem casu Liberius, cum publicè habeatur pro legitime instituto, non videtur habere periculum, ne ipsi lis propterea fiat circa Decanatum; si tamen aliquando contingere tale periculum, non sufficeret recursus ad S. Pœnitentiariam Romanam, sive hic recursus fieret, antequam causa hæc deducatur ad forum externum, sive post eam ad istud forum deducatur. Non in primo casu; quia licet à S. Pœnitentaria Liberius dispensaretur ad retinendos fructus perceptos, tutus quidem ille foret in conscientia, si dispensatione hac frueretur, ipsa tamen dispensatio non tueretur ipsum in foro externo, utpote in quo illa exhiberi non potest, quippe data pro solo foro interno. Non etiam in secundo casu; quia in iis, quæ deduceta in forum externum sunt, vel ad illud deduci possunt, se non immiscet S. Pœnitentaria, sed aut sustinendus processus, aut circa fructus perceptos componendum esset cum Apostolica Camera.

**4.** Si tamen Liberius diffideret sententia primæ, affirmanti, triennalem possessionem tribuere proprietatem, & novum titulum, atque ideo ad quietandam magis conscientiam suam (quam tamen satis quietam manere posse ex dicta sententia, utpote admodum probabili supra monui) pro dispensatione impetranda recurrere ad S. Pœnitentiarum vellet, hac quidem dispensatione impetrata, circa fructus perceptos, & super perceptione decurrente, ut usque securus omnino, tutiusque in conscientia foret, quamdiu nullitas Provisionis, in Literis Apostolicis asserta, manebit occulta, onera tamen sat gravia imponentur Liberio, & inter cætera sat magnam partem fructuum perceptorum jubebitur erogare in pauperes, vel alias causas pias.

**5.** Hæc vero onera si spernat Liberius, literæ supplices pro dispensatione, tacito nomine

nomine supplicantis, expedientur hoc modo. Foris inscribetur hic titulus, *Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali, majori Penitentiariorum, Addito infra loco, Roma.* Intus praefixo titulo, *Eminentissime, ac Reverendissime Domine.* Subjungetur supplicatio in hunc modum. Exponitur humiliter Eminentiae vestra ex devoti Oratoris NN. Presbyteri Diaecesis N. quod ipse, postquam per annos complures laudabilissime rexerit Parochiam N. ad Decanatum insignis Ecclesia Collegiata N. per mortem Antecessoris vacantem, a Patrone laico nominatus, & ab Ordinario institutus fuerit. Quia vero idem Decanatus sustentationem convenientem eidem Oratori non videbatur prabere, Sanctissimo Domino nostro ob hanc causam supplicavit, ut retinere simul posset Parochiam N. prius habitam. Et vero annuit Sanctissimus pro retentione utriusque beneficium ad quinque annos, adiecta tamen clausula, quæ ex causa, quod dictus Orator ante dispensationem hanc imperatam utrumque hoc beneficium simul retinuerit, & ex ambobus fructus percepit, institutionem in Decanatum, ab Ordinario factam, declaravit viribus non subsistere, & ideo eundem Decanatum, ut prius, per mortem vacare, & propterea delegato a se mandavit, ut ipsum Oratorem de novo in eundem Decanatum institueret. Non potuit institutionis ista fieri a memorato delegato, utpote morte prevento, & Successor ejusdem negavit se executionem Bullæ facere posse: & ideo Bulla hac usque huc inexecuta mansit, quo tamen non obstante, Orator utrumque beneficium hucusque retinuit, fructusque percepit, bona fide existimans, collationem Decanatus, cum nullo visibili vitio eam laborare crederet, fuisse validam, & adhuc valere: & sic omessa est ad hoc usque tempus executio; quod tamen occultum omnino est, & probari non potest, cum omnes credant, executionem esse factam a dicto delegato. Nunc conscientia ipsum angit, an fructus hactenus perceptos retinere, & futuros percipere licet ex Decanatu memorato possit. Quare Eminentia vestra humiliter supplicat, quatenus pro foro conscientia, ut cum ueroque beneficio, Decanatu scilicet, & Parochia memoratis, fructus hactenus perceptos retinere, & lapsuros usque ad tempus, in Bulla Apostolica prædicta præsumit, percipere liberè, & licet posse, auctoritate Apostolica dispensare dignetur &c. In fine per modum postscripti procurans literas addet in hunc modum: dignetur Eminentia vestra responsum dirigere ( assignetur locus,

quæ illæ dirigi debent) ad me infra scriptum: qui proinde in calce addere nomen, & cognomen suum debet.

6. Hic libellus, sub sigillo volante, dirigi, si ita placet, Romam potest ad Illustrissimum Serenissimi Patroni in Curia Romana Agentem, ut legere illum, &, si opus sit, emendare possit. Ut vero iste de cause meritis instruatur, in literis specialibus conducte addere breve compendium presentis deductionis. Et quidem 1mō Provisionem de Decanatu factam fuisse ab Ordinario loci in persona Liberii ad nominationem Patroni, & cum omnibus alias requisitis. 2. Retinuisse quidem ipsum simul cum Decanatu hoc etiam Parochiale Beneficium, sed indulgente Ordinario loci, in quo situm est hoc Beneficium, qui eò usque illud, tanquam vacans ipso jure, alteri conferre distulit, donec rescribet, an Sanctissimus in retentione utriusque beneficij dispenset: adeoque illum in hoc bona fide, utpote cum licentia superioris sui, processisse. 3. Similem bonam fidem ipsum habuisse, dum post dispensationem petitat fructus, ex beneficio Parochiali cadentes, perexit percipere: consequenter non tangi illum per Canones, qui statuunt privationem 2di. beneficij contra eum, qui post hujus pacificam, & fructiferam possessionem adeptam retinuit primum, quippe cum privatio haec sit pena, lata in presumptentes utrumque beneficium simul retinere; presumptio autem non cadat in eum, qui bona fide probatur procedere. 4. Quodsi etiam provisio Decanatus ex vitio quoconque foret nulla, & viribus non subsisteret, merito tamen ipsum credidisse, se juvari saltem beneficio regulæ de triennali, juxta quam Possessor bona fidei ex sententia DD. valde probabili ob possessionem cum requisitis ceteris (ut in casu presente) triennio continuatam, titulum novum, & proprietatem, seu quasi in beneficio ita posse accipit. 5. Alteram institutionem, ut voluit Sanctissimus dispensans, non potuisse accipi a Vicario Generali, ad hanc faciendam deputato, quippe morte prevento, cumque Successor illius, per tertium interrogatus, noluerit Bullam equi, Liberium ob rationes hactenus adductas putasse, hac executione opus non esse. Ita salvo meliore &c.

55.

(O)

(Ffff3)

CON-